



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm
praecepta ad artem concionandi descendam accomodata, sed etiam Ideas
& Conceptus praticos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicationis,
Patrocinij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Exemplar III. In quo ostenditur, quomodo Variæ Devotiones persuaderi
debeant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](#)

In Festis B. Virginis instituendi.

137

ipsa maior sit (nec enim ipse magnus & potens est per eam, sed illa per ipsum) sed quia et si merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. Quam ob causam recte ad fiduciam magnam, & solatium capiendum hortatur Arnoldus Carnot. de laud. Virg. dum ait: *Habet homo Mediatorem causae sua Filium ante Patrem, & ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus & vulnera; MARIA Christo pectus & ubera, nec potest illo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni lingua disertius hac clementia monumenta, & charitatis insignia.*

Exemplar Sextum.

In quo ostenditur quomodo variae devotiones persuaderi debeant.

Scopus.

Ostendendus solidus modus colendi B. Virginem.

Thema.

Beatus venter, qui te portavit. Luc. 11. cap.

Syllogismus principalis.

Tunc merito B.V. cultum summa estimationis, (post DEVUM) fiducia, imitationis, & Zeli exhibemus, quando pluribus titulis in ea repertis ad eum exhibendum incitamus; atque verum est antecedens, ergo & consequens.

E X O R D I U M .

Serenissimus Maximilianus Bavariae Elector p. m. inter alia suæ pietatis monumenta non postremum reliquit columnam marmoream in medio metropolitanæ civitatis Monachij extrectam, in qua Imago B. V. artificiose sculpta publicæ veneracioni exponitur; circum circa vero cancelli marmorei in quadrangulari forma errecti visuntur, in quorum angulis quatuor milites Draconem perimentes, & non procul ab his quatuor lucernæ sunt constitutæ. Quas ob causas pifsum Princeps hanc columnam erigi jussit, varij varie coniijcent, ego id factum credo, ut ostenderet, se pro Patrona totius Bavariae B. Virginem elegisse, optareque, ut omnes

I 5

etiam

etiam subditi in suis domibus, aut potius cordibus similes columnam exstruant; sic enim non dubitare se, quin patrocinio hujus potentissimæ Patronæ omnes protegendi, ubi remque à DEO benedictionem imperatruri sint. Non ver tantum Maximilianus sed etiam ipse DEVS videtur hoc optare, ut pulchrè S. Bernardus indicavit, dum dixit, *totis mediis cordium, totis præcordiorum affectibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui omnia nos habere voluit per MARIAM.* Ut ergo huic tam justissimo DEI desiderio satisfiat, ego in præsenti concione, quomodo hanc columnam spiritualiter erigere debeat, ostendam; favete interea, & tantò attentius dicentem audite, quantò majorem ex columnæ hujus erectione fructum potestis sperare.

Propositio.

Quinque, ut audistis, partes in columna Monacensi reperiuntur. 1. Basis seu fundamentum. 2. Ipsa columna. 3. Imago columnæ. 4. Virorum Draconem interficiendum statuæ. 5. Lucernæ. Omnia hæc in nostra columna spirituali pariter reperiri debent; hæc enim quinque sunt, quæ ad perfectum cultum B. Virginis requiruntur.

Prima Pars.

Et 1. quidem *basis* requiri ajo, per quam nihil aliud, quam magnam de hac Sanctissima Virgine estimationem intelligo, ut enim, quò solidior est basis, tantò altius & securius columnæ erigi potest, ita quantò major de B. Virginie estimatione concipitur, tantò major erga eam fiducia & veneratio exurget. Porro hanc estimationem concipere non erit difficile, si, quod Franciscus Suarez è Societate JESU doctissimus Theologus to. 2. in 3. p. d. 18. f. 4. fusè probat, perpendamus, nempe quòd hæc S. Virgo in primo statim Conceptionis suæ instanti tam in gratia, quam aliis donis supernaturalibus longissimè superærat omnes tam Angelos quam Homines collectivè sumptos, eaque deinceps singulis penè momentis usque ad finem vitæ duplo ab ea aucta fuerit, quæ doctrina licet ab initio alicui incredibilis videri queat, non parùm tamen authoritatis accipiet ex eo, quòd ipsa B. Virgo quondam P. Mar-

tino Gutierrez apparuerit, gratiasque egerit, quod sua adhortatione & consilio dictum P. Suarez ad hanc sententiam docendam, & tam solidè probandam incitárit. Nimurum fecit DEVS in creatione animæ hujus S. Virginis, quod olim Apelles Junonis effigiem pingere jussus, fecisse legitur, ut enim hic pulcherimas quasque Virgines ab Atheniensibus sibi sibi petiit, ut ex earum qualibet, quod in ea præstantissimum erat, in imaginem suam transferret, ita DEVS in effingenda anima hujus B. Virginis perfectissimas quasque mulieres sibi proponebat, & quod earum singulæ perfectissimum continebant, in hanc imaginem suam collectivè transtulit, hinc Mater omnium hominum vocatur ut Eva: Mater Isaaci veri, id est Christi, in quo benedicuntur omnes gentes, extitit ut Sara, prudentissima est, ut Abigail: Virgo intemerata, ut Abisag: castissima, ut Susanna: fortissima, ut Judith: pulcherrima & amabilissima, ut Esther: mirabiliter fæcunda, ut Rebecca: devotissima, ut Anna: potentissima apud DEVUM & Christum, ut Betsabea apud Davidem & Salomonem, ut merito illud Salomonis elogium Prov. 31. ei applicetur: *multa filia congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Imò non tantum has mulieres, sed omnes alias sanctas & perfectas animas sibi proposuisse videtur in creanda hac anima, hinc S. Bernardus intrepide ausus est dicere in S. super missus est: *verè in plenitudine Sanctorum fuit detentio Virginis Maria, cui non desuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, Zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, secunditas Coniugatorum, sed nec ipsa puritas Angelorum.* Quod ipsum clarius adhuc expressit & confirmavit S. Anselmus in S. de concept. Virg. dum ait: *nihil tibi, O Domina, aequalē est, nihil comparabile.* omne enim quod est, aut supra te, aut infra te est. *Quod supra te est, solus DEVS est.* Quod infra te est, omne quod DEVS non est: quid multis: ipsa est, inquit S. Bonaventura in speculo B. V. quam maiorem facere DEVS non potest. Maiorem facere mundum potest DEVS, maiorem Matrem quam Matrem DEI facere non potest. Quis ergo non magni aestimet hanc S. Virginem, quam à DEO à SS. Patribus, ab Ecclesia ipsa tanti estimatam videt, ut canere de ea non erubescat: *nec primam similem visa est, nec habere sequentem?*

Secund a

Secunda Pars.

Porro super hanc basin *columna statuenda est*, per qua fiduciam firmam & filialem intelligo erga hanc Sanctissimam Virginem, quae quidem rotunda, id est, undequaque perita esse debet, ita ut suo modo illud S. Jacobi c. i. impleamus si quis vestrum indigit sapientia (aut aliâ gratiâ) postuleat DEO (per hanc S. Virginem) qui dat omnibus affluenter. Postulet autem in fide nihil hesitans, quod quidem tanto iterum facilius nobis erit, quanto potentius undique ad hanc fiduciam animamur. Nam 1. animat nos ipse D. PVS, dum partam pulchras figuras eandem nobis praefigurare dignatus est. Estheris scilicet & Bersabee, quarum priori dixit Aluerus c. 7. Esth. quae est petitio tua Esther, ut detur tibi. & quid vis fieri etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Posterior vero scilicet Bersabee à Salomone Filio audire meruit 3. Reg. c. 2. Pete Mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam, quanto magis autem hoc ipse DEVS B. Virginis velut sponsæ suæ dilectissimæ, & Christus Matri suæ amantissimæ dicent: animat nos 2. ipse Christus, dum in cruce omnibus nobis dixit: Ecce Mater tua: quasi diceret: ut filii in omnibus necessitatibus suis ad gremium matris fugiunt, ita vos idem respectu matris meæ & vestrae facite. Animat nos 3. SS. Patres, præcipue tamen S. Bernardus, dum ait: in periculis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat à corde, non recedat ab ore, Rationem vero hujus dat alibi, dum ait: Sinum misericordie sua Maria omnibus aperi, ut de plenitudine eius accipiant universi, captivus redemptorem, ager curationem, tristis consolationem, iustus gratiam, Angelus laetiam, tota Trinitas gloriam, & denique Persona Filiæ DEI carnis substantiam. Animat nos 4. Ecclesia, dum eandem sanctam Matrem cum pallio extenso nobis representat, ut scilicet moneat nos, quod quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, ita ipsa nos recipere sit parata, hinc & ipsa præit exemplo, & constans usurpat orationculam: sub tuum præsidium consugimus Sancta DEI Genitrix &c. Animat nos 5. experientia, quâ habemus, nullum unquam fuisse derelictum, qui eam sincere invocavit, ita ut S. Bernardus sine horrore dixerit in S. de Assumpt. silent misericordiam tuam

tuam B. Virgo, qui te in necessitatibus suis invocatam sibi unquam meminerit defuisse. Et quid mirum, si invocata ad eft, quae etiam non vocata prefto eft? Animant nos denique &. variæ revelationes, quæ hac de caufa sunt factæ, ex quibus sola illa sufficere potest, quæ S. Francisco obtigit, ut in chron. min. refertur, dum duas scalas vidit, rubram alteram, cui Christus insidebat, sed apud quam pletique ascendere volentes repulsi sunt; alteram candidam, cui B. Virgo insidebat, ad quam confugientes cum benevolentia magna excepti atque ad cælum intromifsi sunt, ut adeò verè impletum videatur illud S. Bernardi promuntiatum: *ex hoc beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam tribuisti: in te enim Angeli latuam, iusti gratiam, peccatores veniam inveniunt in aeternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturae, quia in te, per te, & de te benigna manus omnipotentis, quidquid creavit, recreavit.* Atque hæc de altera cultus Mariani parte, scilicet de columna finit dicta.

Tertia Pars.

Veniamus nunc ad tertiam scilicet ad ipsam B.V. statuam, quæ meritò principalis reputatur, & nil aliud quām imitationem S. Virginis nobis indicat; per hanc enim imitationem verè in cordibus nostris tantò elegantiùs effingitur Virgo Sanctissima, quantò perfectius eam imitari studuerimus; hinc tam sollicitè ad hanc imitationem SS. Patres nos incitant, & i. quidem S. Bernardus, dum l.c. ait: *ut impetres orationis eius suffragium, non deserendas conversationis eius exemplum.* Et clarius S. Idelphonsus S. de assumpt. dum ait: *Igitur, dilectissimi, amate Mariam, quam colitis: colite, quam amatis: quia tunc verè colitis, & amatim, si imitari velitis ex corde, quam amatim;* nam ut benè S. Idelphonsus S. i. de aff. advertit, non tam illi prodest nostra laudatio, quām nobis illius imitatione; unde Sponso magis placet imitator devotus, quām laudator otiosus: tamen vera laudatio cordis imitatio est operis. Vultis autem scire, quā in virtute potissimum eam imitari debeatis? id vobis ipsamet Virgo indicavit, dum dixit olim: *quæcumque dixerit vobis, servate, & facite;* hæc, hæc obedientia gratissimus cultus est, ut jam pridem dixit, qui eccepsit: *Virginis est cultus pulcherrimus, optima vita, abs-*

que

que hoc nullum aliud obsequium gratum erit. Quid enim proderit, si ore eam collaudes, & corde ipsam & Filium em maledicas? quid juvabit, si cibo corporali ad honorem illius abstineas, & magnam abstinentiam, quae in peccatorum fuga consistit, non serves? quid erit, si propter ipsam osculum terrae figas, & interea caput contra ipsam & Filium per mandatorum transgressionem erigas? ah Filioli mei, non diligimus lingua vel verbo, sed opere ac veritate, inquit recte Sanctus Joannes: laudabiles sunt, non nego, ejusmodi devotiones, id est que, ubi occasio datur, non negligendae; sed oportet hæc facere, & alterum non omittere, scilicet mandatorum observationem, quia melior est obedientia quam vicima hanc profectò si præstiteris, pulcherrimam B. Virginis imaginem expressisti, quia & tu dicere potes cum illa: *Ecco an cilla (vel mancipium) Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Hunc cultum specialiter exhibere studuit P. Desiderius Colinus ex Soc. Jesu, hinc in ipso morbo ratione captus, aliquid facere noluit, quamprimum id in nomine Mariae imperari audiit, mox dixit, absit, ut propter dilectissimam Matrem non obediam.

Quarta Pars:

Verum etiam quarta pars supradictæ columnæ non ostendenda est, nemirum *statua virorum Draconem occidentium*: per has enim significatur, quod si columnam hanc Sanctissima Patronæ erigere velimus, viri bellicosi esse debeamus, & infernalem Draconem superare; ipse enim est, de quo DE Virgen. 3. dixit: *inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semet tuum & semen illius: ipfa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Ipse est, de quo S. Joannes in apocalypsi c. 12. scriptit: *& iratus Draco in mulierem, & abiit faciem puerum cum reliquis de semine eius.* quinam autem sunt femme hoc, nisi amatores illius? quæ mulier, nisi Virgo Sanctissima? quis Draco nisi Diabolus, qui omnibus modis capit deglutire hanc mulierem, eripiendo ex cordibus eorum, hinc aperte olim P. Balthasar Alvarez dixit, se ab eo impinguando destitutum, si ipse vicissim mulierem per imaginem quam monstrabat, repræsentatam venerari cessaret. Contingit hunc ergo Draconem verus Amator S. Virginis tanto fortius

certare debet, quanto majorem ex tali victoria fructum sperare potest; Siquidem & de ipso verificabitur, quod S. Joannes in apocal. c. 3. dixit: *qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei nova Ierusalem, id est matris Dei & iterum: qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delabo nomen eius de libro vita, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.* Unde SS. Patres plerumque a morem B. Virginis pro uno ex primariis signis prædestinationis agnoscunt.

Quinta Pars.

Denique ut perfecta sit columna nostra, etiam lucernæ jungendæ sunt, per quas nil aliud intelligo, quam quod omni studio etiam conari debeamus, ut non modo ipsi in amore B. Virginis quotidie magis proficiamus, sed alios etiam, quæ verbis, quæ exemplis ad eandem amandam incitemus; cuius quidem exercitijs variæ nobis occasionses offeruntur. Quis enim non habet occasionem saepius Deo supplicandi, ut cultum hujus Sanctissimæ Virginis in dies magis amplificare dignetur; atqui talis oratio merito inter efficacissima media numeratur, cultum virgineum promovendi. Quis nou quotidie ferè occasionem habet unam alteramve animam purgatorijs aut statim dominio liberandi, aut certè citius eripiendi, & ea quidem intentione, ut illa Deo potenter supplicet pro eodem cultu Mariano amplificando? atqui & hoc obsequium tantò gratius est Deo & Matri Virgini, quanto præstantius est opus Misericordiae & charitatis, cum quo conjungitur; quis non frequenter habet occasionem, saltem desiderium ardentissimum concipiendi, ut B. Virginis cultus & amor in toto orbe dilatetur? atqui & hoc desiderium pro affectu accipit Deus, & diva Mater, ubi vires plus non concedunt, ut nihil dicam de illis, qui aut liberos habent, ut parentes: aut Famulos & ancillas, ut Domini Dominique: aut Discipulos, ut Magistri; hi enim quæcum copiosam habent occasionem, nunc verbis animando, nunc exemplo præundo, nunc in templum ad Sacraenta in Virginis honorem obcunda, aut preces dicendas mittendo. Verbo: *Sicut ingeniosus est amor, ita nunquam ei deerunt variæ inventiones ad cultum amatæ*

amatæ Deiparentis promovendum. Quilibet ergo sibi
plicet illud Christi dictum Matth. 5. *Sic luceat lux vestra
amor Marianus coram hominibus, ut videant opera vestra
et glorificent Patrem vestrum (& Matrem) qui in celo
Certoque confidant in illis hac ratione impletum iri, quod
Eccl. 24. promissum est; qui me elucidant, vitam eternam lu-
bebunt.*

Epilogus.

Atque ex his satis nunc patet, quomodo columnam spiritualem Monacensi similem erigere debeatis. Superest, manum operi admoveatis, & unam partem post alteram adificetis. Perfectò sic in medio vestri existens Virgo potestissima potentius vos, quam ulla salva guardia defendet; & copiosorem vobis benedictionem afferet, quam olim Aica Dei domui obededom attulerit; quoisque tandem, sicut lim columnæ Israelitas ex Ægypto eduxit, & introduxit in terram lacte & melle manantem, ita & vos hæc columnæ hac misericordiæ & lacrymarum valle educat, & in terram promissam æternæ felicitatis introducat. Amen.

*§. II.**Quomodo Conciones de B. Virgine in peregrinatione aut processione institui debeantur.**Scopus.*

Voluntas propria ad exemplum & honorem B. Virginis exuenda.

Thema.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.
Luc. 1.

Syllogismus principalis.

*Tunc voluntas propria merito relinquenda est, quando hoc u-
sequium Deo & B. Virginis gratissimum est.*

Atqui est gratissimum,

Ergo merito relinquenda est.

EXO